

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

XIII. Item, qualiter fidelis anima Christo conformatur.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

Transfigitur in latere cæci amoris lancea, de cujus corde profluit sacræ dōctrinæ scientia. In altum ad æterni solis calorem in cruce superni amoris leni Sancti Spiritus aura suspenditur, ut arescat perfecte *velut testa* a terrenis omnibus virtus ejus. Dicens ergo : Pater, in manus tuas commendo spiritum meum, quia jam consummata et perfecta sunt omnia, beato fine de cruce sua solvitur; et in sepulcro profundæ humilitatis ponitur, indigniorem se reputans omnibus creaturis. Cumque in delicato sponsi thalamo amoris dulcia miscuerit eulogia, die solemnī Paschæ resurgit lætabunda. Deinde mane per Mariam consolatur alios, cum plenam a Deo securitatem percipit quod in amoris pœnitentia ejus peccata diluerit sua clementia. Ad discipulos clausis januis ingreditur, cum sensibus exterioribus divinum dogma frequenter ab ipsa proponitur. Ascensura in cœlum [de Jerusalem], id est, de Ecclesia, cum virtutum turmis egreditur, corpusque sensibile turbatum confunditur, cupiens secundum suam naturam suam voluntatem perficere. Dicit ergo ei : Ego tibi præsideo; mihi teneris in omnibus obedire. Nisi ego abiero, tibi a Spiritu Sancto non veniet consolatio. Ascendit ad cœlestia, cum eidem ex Dei gratia vilescunt hæc terrestria. Suscipitur in nube candida protectionis Dominicæ, dum amabiliter progreditur, et cum jucunditate in excelsis suscipitur. Angeli consolantur discipulos, cum electorum gesta recordamur et exempla veneramur.

Hæc est mystica et felix compassio, et crux in qua cum Apostolo configimur Christo et compatimur ut cum ipso postmodum conregnemus.

XIII. ITEM, QUALITER FIDELIS ANIMA CHRISTO CONFORMATUR.

**D**IE quadam, dum Sorores omnes ad audiendum verbum Dei properarent, remansit Soror Mechtildis sola in quodam cubiculo clausa. Cœpit contristari et mæsta esse, dicens in corde suo : « Heu me, Domine, quod verbo tuo auscultando propter infirmitatem non valeo misera interesse ! » Mox apparuit ei consolator mœrentium in habitu Prædicatorum, et dixit ei : « Vide, mea sponsa : et aspice

oculorum meorum claritatem, oris mei veritatem, Cordis igneam charitatem, brachiorum strenuitatem, pedum velocitatem, et sequere me. Oportet te complantari similitudini mortis meæ. Tradent enim te per invidiam, quærent per insidias, capient per odium, [alligabunt par calumniam,] velabunt faciem tuam per mendacium, colaphizabunt per amaram despectionem et irrisionem. Portabis hic patienter vincula per obedientiam; iudicium per confessionem, alapas per satisfactionem, flagella per paupertatem, [mitti ad Herodem per irrisionem], spinis coronari per tentationem, conspui per abjectionem, vestibus exui et reindui per exilii elongationem. Bajulabis crucem, peccatum odiendo; crucifigeris votorum tuorum protractione; figeris in cruce virtutum operatione, vulneraberis amando, morieris in cruce immobiliter perseverando. Aperietur cor tuum lancea per amorem. Solveris a cruce per hostium devictionem; sepelieris per humiliationem; resurges a morte per devotam expirationem; ad cœlos duceris per Spiritus Dei attractionem. »

XIV. DE EXCELLENTIIS ANIMÆ DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI,  
SALVATORIS NOSTRI.

**N**OCTIBUS cum a somno evigilo, nitor prudenter et attento si ego misera pro infideli christianorum multitudine, per quam Dilectus meus tam incessanter offenditur, valeam deprecari. Interdum in aliam viam deducit me, [in qua nec pons nec scala occurrit] sequorque eum nudis pedibus et corpore, a terrenis scilicet separata. Quis [enim] tam facile hominem cohiberet, et animam sursum erigeret, sensus tam excellenter illustraret, sicut Deus qui nos creavit et in nobis mirabilia facit. Sic cogitavi nocte [quadam] cum corde meo, in dulci affectione animæ meæ, absque omni labore, de sanctissima Trinitate; et ecce vidi in excelso ejus, sine desiderio, animam Domini nostri Jesu Christi. Ipsa incessanter super omnem exaltata dignitatem in sancta permanens Trinitate; ibi circumdata mirabiliter et ornata, et super omnem creaturarum pulchritudinem irradiata, transparet in trium excellentia per-

VI. 16.